



Universitätsbibliothek Paderborn

Domus Æternitatis

Reserata, Et Ad Ingrediendum Quotidie Memorïæ cogitationibus,
Intellectûs considerationibus, ac voluntatis affectibus Aperta ; Serviet
quoque pro Concionibus; uti & pro Exhortationibus, in Agoniae Domini
Sodalitatibus

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1713

Præfatio Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50597](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50597)



PRÆFATIO

AD LECTOREM.

Propono, tibi, Lector benevo-
le, Domum æternitatis, ad
quam indies, magnis passibus pro-
peramus; & quidem reſeratam; ut
unà mecum, nullo negotio, ingre-
di, & quæ in ea lateant, mentis ocu-
lis intueri, affectibusque proſequi
valeas. Ad quod gemina me ratio
permovet. Prima meipſum con-
cernit; poſtquam enim, Dei bene-
ficio ſingulari, annum ætatis ſe-
ptuageſimum; vitæ verò religioſæ
quinquageſimum emenſus ſum,
animo ſæpius agitare cœpi, de-
cantatum à Vate Regio Pfalms
octogefimi noni verſiculum: *Dies*

† 2

1770

PRÆFATIO

*annorum nostrorum septuaginta anni,
& amplius eorum labor & dolor. Ex quo clarè perspexi, me à vitæ meta,
à morte, ac Domo æternitatis,
haud procul abesse: id enim clamat & sensus deficiens, & vigor languescens, & ætas canescens.
Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est: ait Apostolus ad Hebræos c. 8. 13.*

Ac proinde Statui Domûs æternitatis memoriam indies mihi refrigerare, de ea legere, scribere, loqui & meditari, exemplo Magni Augustini meditatione 22. sic scribentis: *Libet sanè de te loqui (ô beata æternitas) aut de te audire, de te scribere, de te conferre, de tua beatitudine quotidie legere; & lecta sæpius sub corde revolvere: ut vel sic possim ab hujus mortalis & peritura vitæ ardoribus, periculis & sudoribus, sub tua vitalis auræ refrigerio transire*

AD LECTOREM.

*Et transiens, in sinu tuo fessum caput
Ex dormiturus vel paululum reclinare.*

Quò autem ad manum habe-
rem, quæ in memoriam indies re-
vocarem, aut corde ruminarem;
varia, tum è verbi divini oraculis,
tum è Sanctorum Patrum monu-
mentis; tum etiam è probatissimo-
rum Ascetarum codicibus collegi,
in libellum hunc digessi, atque in
tot, quot annus numerat dies,
consideratiunculas dispecui; qui-
bus teporem meum quotidie ex-
citerem, fervorémque succende-
rem; & quò viciniùs morti atque
æternitati appropinquo, eò solici-
tiùs ad eandem me compararem,
cum S. Gregorio M. *Quantò mor-
ti viciniùs, tantò solicitior.* L. 7. E-
pist. 1. Atque hæc prima hujus lu-
cubrationis meæ est causa.

Causa altera te, mi Lector, pro-
ximúmque meum, concernit: ut

PRÆFATIO

nimirum pro vocationis meæ instituto, alienam quoque salutem, & perfectionem promoverem; ad quam, memoriâ & consideratione æternitatis, nihil utilius est, nihil efficacius. Cur enim tantopere eam commendat Ecclesiasticus, dicens: *Memorare novissima tua?* c. 7. A. 40. Cur David Salomoni Filio suo vale dicens, ante mortem, eandem tam serîo ei inculcat; assensurus: *Si quaesieris Dominum, invenies: si autem dereliqueris eum, projiciet te in aeternum?* 1. Paralip. c. 28. at. 9. Cur Salvator noster in concionibus suis, *vitam aeternam, & ignem re aeternum* toties populo proposuit? in Cur denique Ecclesia Mater nostra, in omnium psalmorum, hymnorum & orationum fine, æternitatis memoriam refricare voluit, renisi propter ingentia ejus emolumenta? cùm nihil ferè ad vitam aeternam.

emen.

AD LECTOREM.

emendationem, ac spiritûs fervorem, ad metum salutarem gehennæ, & desiderium cœlestis Patriæ, vehementiùs excitet, atque ad mortem felicem, æternitatẽmque beatam meliùs disponat.

Et hæc est ratio, cur Prophetæ, Apostoli, Martyres, aliique viri ac feminae sanctitate illustres, in consideratione ac meditatione æternitatis fuerint assidui; De se fatetur Propheta Regius: *Annos aternos in promente habui.* Psal. 75. 6. S. Paulus *atetnum gloria pondus* animo verticio. *abat.* 2. Corinth. c. 4. 17. S. Themasia illud: *in atetnum! in atetnum!* *uit? in atetnum!* crebrò mente volvenobat. Inde Apostoli ac Martyres in tormentis, Confessores in laboribus, Virgines in tentationibus, robur invictum hausere. Quidni, mi Lector, hos Sanctos imitamur, vitacum evidens nobis sit, quòd indies

PRÆFATIO

ad æternitatem properemus? *Quotidie morimur*, ait S. Hieronymus; *quotidie commutamur*; & tamen æternos nos esse credimus: hoc ipsum quod dicto, quod scribitur, quod re-
lego, quod emendo, de vita mea tollitur: quot puncta Notarii, tot meorum damna sunt temporum: scribimus atque describimus, transeunt maria epistola, & scindente sulcum carinâ, per singulos fluctus, ætatis nostræ momenta minuuntur. In Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum.

Si igitur tibi, chare Lector, ex hisce considerationibus, fructum nonnullum decerpere placuerit, quotidie punctulum aliquod tarde legendum, ac paulisper ruminandum, aut meditandum, matutino præsertim tempore, ante alia negotia, assumere licebit. Servire quoque Considerationes hæ poterunt pro Concione dicentibus, si eas ve-

non

AD LECTOREM.

nonnihil amplificaverint , vel binas, ternasque conjunxerint, uti & in Sodalitate Agoniæ Domini perorantibus. Servient denique pro Libri spiritualis lectione privata , aut publica in triclinio.

Ego Bonitatem Divinam supplex rogo, atque rogabo, ut & tibi, & mihi benignè aspirare, gratiamque uberem elargiri dignetur; quâ in æternitatis adyta, ita penetremus; ut labilem ac fluxam vitam hanc sine offensa decurramus, & in Domo æternitatis beatæ aliquando conveniamus; ibidemque Dominum Deum nostrum, facie ad faciem videamus, amemus, laudemus & glorificemus in perpetuas æternitates. Sic precor & voveo animitus. Geistæ Anno 1712. 20. Februarii

Tuus in Christo servus humillimus

JOANNES DIRCKINCK S. J.

† 5

DE-